



CONSOCIATIO INTERNATIONALIS

IURIS CANONICI STUDIO PROMOVENDO

IL RETTORE

Ill. mus Prof. Retamal

Magno cum gaudio Tibi nuntium mitto de condita internationali Consociatione ad studium Iuris Canonici fovendum, cuius sedes Romae in Urbe erit. Consociationis finis est collaborationem suscitare scientificam et pedagogicam inter iuris peritos omnium nationum, scholarum et traditionum.

Dum Romae, mense ianuario anni 1970 celebrabatur Congressus Internationalis Iuris Canonici, in votis fuit ut aliqua associatio mutuos inter iuris canonici peritos nexus colligeret atque foveret relationes necnon incepta scientifica tunc exorta sustineret et promoveret. Acta huius Congressus publici iam facta sunt dominii.

"Consociatio internationalis Iuris Canonici studio promovendo" nunc condita et erecta est a coetu promotore in hunc finem constitutum. Qui coetus Consociationis statuta exaravit quae a secretariatu Consociationis expectari possunt.

Cum autem Consociatio ut finem habeat studium Iuris Canonici et Iuris statalis in relatione cum Ecclesia Catholica et aliis Ecclesiis vel communitatibus ecclesialibus, ipsa omnes peritos singularum confessionum ut sodales libenter assumit.

Organa Consociationis, praeter Coetum generalem sodalium, qui die 11 septembris 1973 primam suam sessionem habebit, in folio adjuncto describuntur: ad ea munera Consociationis explenda iam provisoriae nominationes factae sunt quas ratas habere poterit proximus Coetus sodalium generalis.

Tuam cum hac nostra Consociatione Internationali cooperationem magni faciens Te ad ultteriores obtinendas informationes remitto ad Prof. Caesarem Mirabelli, Via Cicerone, 49, I - 00193 - Roma vel ad ipsum Consociationis Secretariatum cuius officia sunt in aedibus Facultatis Iurisprudentiae (Facoltà di Giurisprudenza - Università di Roma - Roma).

Annum quoddam a sodalibus solvendum tributum erit 5.000 Libellarum Italicarum quae per "mandat postal international" nominibus Prof. d'Avack et Mirabelli transmitti possunt, indicando accurate, quaeso, nomen mittentis, eius muneris et domicilii indicationes, sicut in scheda adnexa praevidentur.

Tibi, Egregie Domine, qua par est reverentia, me addictissimum profiteor

PRÆSES CONSOCIATIONIS

(Prof. Pietro Agostino d'Avack)

16/7/73 -  
mischa la cédula de inscripción  
contando al mismo tiempo el envío de  
estatutos.  
R.